



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 948/21/I

BEATISSIME PATER,

Salvator Priola, Parochus Rector Beatae Mariae Virginis de Milicha Sanctuarii in Alta Villa, Panormitanae Archidioeceseos, Exc.mo Archiepiscopo Metropolita enixe favente, Em.mo Card. Archipresbytero Papalis Basilicae Sanctae Mariae Maioris perlibenter suffragante, humiles Sanctitati Tuae admovet preces ut donum plenariae Indulgentiae largiri dignetur pro fidelibus Marianum Sanctuarium devote visitantibus.


Christifideles enim, memoratum Templum adire soliti, speciali pietatis affectu S. Dei Genetricem Mariam colunt, et probe norunt hinc quidem sinceram hanc devotionem ex rei natura conducere ad emendationem vitae et ad generosum studium proficiendi in virtutibus, praesertim Fidei, Spei et Caritatis, erga Deum et erga fratres, inde vero fructum doni Indulgentiae, pro quanto haec omnimodam postulat exclusionem affectus erga quodcumque peccatum, hoc etiam secumferre ut vividior in anima pietas efflorescat. Quae quidem optanda bona ut reapse fideles adipiscantur, curae erit iis quibus Sanctuarium commissum est, ut confessariorum copia sit praesto.


Spiritualis autem coniunctio, per preces et bona opera, cum Principe Mariano Templo, ad cuius similitudinem dies Indulgentia ditati recensentur, communionem filialis hierarchicae necessitudinis cum Sanctitate Tua nata est roborare et simul sensum catholicae unitatis, quippe cum illa eadem coniunctio fidelibus in omni latitudine Ecclesiae versantibus sit grata. Et Deus, etc.

Die 7 Septembris 2021

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, vi facultatum sibi speciali modo a Summo Pontifice tributarum, perquam libenter excipit relatas preces et *plenariam* concedit *Indulgentiam*, suetis condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et oratione ad mentem Summi Pontificis) rite adimpletis, a christifidelibus vere paenitentibus in Sanctuario Beatae Mariae Virginis de Milicha lucranda, si cui sacrae functioni devote adstiterint, vel saltem Orationem Dominicam et Symbolum Fidei recitaverint: **a.**- die festo titulari Basilicae Liberianae (5 Augusti); **b.**- die festo titulari ipsius Sanctuarii; **c.**- in liturgicis sollemnitatibus Beatae Mariae Virginis; **d.**- semel in anno, die ab unoquoque fidei libere eligendo; **e.**- quoties illuc devotionis causa turmatim peregrinati fuerint.

Praesenti *in perpetuum* valituro. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.


MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentarius Maior


CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens